

*rum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.

*Suspensiones LATÆ SENTENTIÆ Summo Pontifici reservatæ.*

I

Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis ecclesiis seu monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

II

Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

III

Suspensionem per annum ab ordinum administratio-  
ne ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum  
etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam  
collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi  
litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium  
qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impe-  
dimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus  
loci litteris testimonialibus.